



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Flores Meditationvm**

**Bebius, Philippus**

**Coloniae Agripp., 1623**

Medit. 29. De Productione ad populum.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-59636](#)



MEDITATIO XXIX.  
DE CHRISTI AD PO-  
PVLVM PRODUCTIONE.

PVNCTA MEDITATIONIS

- Ioan. 19.* I. Exiuit Pilatus foras, dicens: adduco  
vobis eum, vt cognoscatis quia nullā  
inuenio in eo causam.  
II. Exiuit IESVS portans spineam co-  
ronam & purpureum vestimen-  
tum.  
III. Pilato dicente: E C C E H O M O;  
clamabant Pontifices: Crucifige,  
crucifige eum.
- 

P R O P H E T I Ā.

*Ierem. 1.* O Vos omnes, qui transitis per viam, at-  
tendite, & videte, si est dolor, sicut dolor  
meus.

*Isaias 53.* Et vidimus eum & non erat aspectus.

*Iere. 2.* Facta est mihi hereditas mea, quasi Leo in  
sylva; dedit contra me vocem.

---

D O C V M E N T A.

*I.* C O N T E M P L A R E Dominum illā  
specie, qua fuit à Pilate ostensus, id est,  
humilem, nudum, flagellatum: & cogi-  
ta,

ta, si ipse sit via, hac eundum tibi esse, si quidem ad vitam cupias peruenire.

2. Si consideremus ignominiam regis Angelorum, non magnoperè solliciti erimus, quo loco nos habeat mundus. Ne ergo pudeat nos pro Christo apud homines esse contemptui: quando ille coram inimicis suis tanto pudore sustinuit affici.

3. *Ecce homo*, inquit Pilatus. Volebat Dominus ostendere tales esse hominem per peccatum in animo: plenum scilicet vulneribus & doloribus, qualem ille setum in corpore suo sanctissimo demonstrabat.

4. Si miserabilis Saluatoris aspectus, non potuit inimicorum animos retrahere ab inferenda illi nece: debet salrem nos, qui amicorum nomine censerí volumus, à continuis ipsius offenditionibus retardare.

5. Christum flagellatum & contemptum ostendunt populo, qui vocatione sua relicta, cum Christi contemptu & bonorum scandalo se mundo ostendunt.

6. Si peccatis aut tentationibus occupati sumus, ostendamus Saluatoris hanc speciem aeterno Patri, quam Pilatus Iudeis ostendit. Si enim ea crat illius species, quæ animos hostiles mouere posset, quanto facilitus, viscera paterna mouebit, ut misereatur nostri.